Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25888
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Quantum potes tantum gaude quia maior omni laude nec laudare suffi
cis. Laudis thema spiritalis panis vivus et vitalis hodie proponitur. Quem
in sacra mense cene cibum turbe duo dene datum non ambitur. Sit laus
plena sit sonora sit iocunda sit decora mentis iubilatio. Dies enim solem
nis agitur in qua mense prima recolitur huius institutio. In hac mensa
novi regis novum pascha nove legis pasche vetus terminat. Vetustatem
novitas umbram fugat veritas noctem lux illuminat. Quod in cena
xpc gessit faciendum hoc expressit in sui memoriam. Doctis sacris insti
tutis panem vivum in salutis consecramus hostiam. Dogma datur xpianis
quod in carne transit panis et vinum in sanguinem. Quod non sapis
quod non vides animosa firmat fides preter rerum ordinem. Sub diversis
speciebus signis tantum et non rebus latent res eximie. Caro cibus sanguis
potus manet tamen xpc totus sub utraque specie. Assumente non concisus
non confractus nec divisus integer accipitur. Sumit unus sumunt mille
quantum iste tantum ille nec sumptus consumitur. Sumunt boni sumunt ma
li sorte tamen inequali vite vel interitus. Mors est malis vita bonis vide
pari sumptionis quam sit dispar exitus. Fracto demum sacramento ne vacilles
sed memento tantum esse sub fragmento quantum totum tegitur. Nulla
rei fit scissura signi tantum fit fractura qua nec status nec statura sig
natum minuitur. Ecce panis angelorum factus cibus viatorum vere panis
filiorum non mittendus canibus. Sub figuris presignatur dum ysaac ym
molatur agnus pasche deputatur datur manna patribus. Bone pastor
panis vere ihu nostri miserere tu nos pasce nos tuere tu nos bona fac vide
in terra viventium. Tu qui cuncta scis et vales qui nos pascis hic mortalis
tu nos ibi commensales coheres et sodales fac sanctorum civium. Sanctus Johannem

In illo tempore: Dixit do. i. turbis iudeorum. Caro mea vere
est cibus: et sanguis meus vere est potus. Qui man
ducat meam carnem et bibit meum sanguinem in me ma
net: et ego in illo. Sicut misit me vivens pater: et ego
vivo propter patrem. Et qui manducat me: et ipse vivet propter
me. Hic est panis qui de celo descendit. Non sicut mandu
caverunt patres vestri manna et mortui sunt. Qui man